

## CAP. I.

§. I. Vocabuli אָשֶׁרָה significatio, luci scilicet; quid fuerit? unde dictus §. II. variorum scelerum receptacula: citantur auctores §. III. quæ fuerit causa interdictionis div. §. IV. consentiunt quidam Judæi: alii absolute prohibitos dicunt; quod autem Maimon: restringit §. V. ratio Talmud, rejicitur, ut. & §. VI. Cocceji §. VII. prima approbatur sententia: Abrahamus primus lucorum author §. IIX. ab hoc in Ægyptum & aliorum transiit; a quibus idololatricus factus §. X. ab Ægypto varia idola: sed significatio hæc 2. Reg. XXIII. 6. 7. non admittitur, & cur? §. X. alii metonymice explicant: citatur Lambinus, & rejicitur: luci rurales religiosissimi. §. XI. אָשֶׁרָה idolum §. XII. probatur Scripturæ locis 2. Reg. XXIII. 15. §. XIII. Exemplo Achabi: qui אָשֶׁרָה Astartæ templum erexit. §. XIV. quod ex Plinio & Strabone describitur: firmatur a loci (Sidonis) situ §. XV. probatur aliis locis & testimoniosis Kimchii, Salomonis §. XVI. Abarbanelis §. XVII. Zoharis & סְבִירָה עֲלֹת הַלְוִיכּוֹת §. XVIII. Paraphr. Chald. Syria-  
ca, Arabica.

§. I. Hæc est opinio recepta plurimorum interpretum, qui, quandocunque אָשֶׁרָה vox occurrit in sacro codice, plerumque per lucum reddunt, & Græci ἄλσος, quod cum priori, si notionem spectes (adi *Scapula Lex*). convenit, adhibent. Erat locus idololatriæ exercendæ consecratus locus: ibi enim impii sacrificabant & idola sua colebant (*Ravanell. in Biblioth. p. 128.*) a cuius rei executione, sacrorum scil. animalium & victimarum immolatione & combustione lucos nomen originem suam traxisse censendum est, quod ignis sacrificia absumentis ibidem luxerit, & densis arborum ramis obscurum lucam collustraverit. (v. *Job. Gerb. Vossii Etymlog. Fungeri Etymolog. Matth. Martin. Lexicon Philologicum.*)